

- 1. Meth. 6.** laria esse dicit, quæ vndiquaque in similes particulas diuidantur, veluti in oculo vitreus humor & crystallinus, & tunicarum propria cuiusq; substantia. Hippocrates ἀσύμφυτα nuncupat dissimilaria: qd' cùm ex dissimilibus inter se connexis prodierint, non σύμφυσιν obtineant, sed solam συμβολήν. Ex harum definitionum sententia, quæ nos superius visi sumus, Galeni aliorumq; decretis persuasi dissimilium ordini adscripsisse, similiūm partium esse, cognoscuntur: quandoquidem acetum, æris squama, lac, rosarum succus, in partes diuiduntur vndiquaq; similes. Ut clariūs apparet argumenti vis, Galenus similaria vocat simplicissima sensibilia elemēta, hominis corpus constituentia, carnem, membranas, fibras, adipem, ossa, cartilagines, ligamenta, neruos, medullam, & alia vniuersa, quorum particulæ eiusdem sunt cum toto & inter se speciei. Aristoteles eadem dicit, illisq; metallica annumerat, aurum, argentum, æs, stānum, ferrū, lapides, & cætera id genus, quæque per secretionem ex hisce fiunt omnia. Inter dissimilaria verò, præter ea,
- De Arte num. 76.**
- 2. de Elem.**
- 3.**
- 4. Meteor.**
- 10.**